

Sanct^{mi} in Christo patris et Domini nostri, Dⁿⁱ Pii divina providentia Papae quarti anno 4., Tridenti in ecclesia cathedrali, quae est sub invocatione B. Vigili, et loco superiori ipsius ecclesiae, ad sessiones habendas deputato, celebrata est nona et ultima publica sessio sacrosancti oecumenici et generalis concilii Tridentini sub eodem S^{mo} D. N. Pio Papa quarto, praesidentibus in eo, nomine eiusdem S^{mi} D. N. Papae et sanctae Sedis Ap^{no}, I^{mis} D^{nis} et R^{mis} patribus Ioanne episcopo Praenestino Morono, et Stanislao Hosio tit. S. Pancratii, Varmiensi, Ludovico tit. S. Cyriaci in Thermis Simoneta, et Bernardo tit. S. Nicolai inter imagines Navagerio vulgariter nuncupatis, S. R. E. cardinalibus presbyteris et Ap^{cia} de latere legatis. Quibus quidem I^{mis} D^{nis} praesidentibus et legatis, una cum cardinalibus, oratoribus et praelatis infrascriptis, convenientibus mane circiter horam 14. in dicta ecclesia cathedrali: in primis R. D. Pompeius Zambecarius ep. Sulmonensis celebravit missam solemnem de Spiritu Sancto, qua absoluta, et publicata de more, auctoritate Ap^{ca}, indulgentia plenaria, R. D. Hieronymus Ragazonus ep. Nazianzenus electus Famagustanus habuit orationem, eaque absoluta tam ipsi I^{mi} et R^{mi} Dⁿⁱ praesidentes, quam cardinales, oratores ecclesiastici et praelati omnes acceperunt pluvialia et mitras, I^{musquo} D. cardinalis Morono primus praesidens et legatus praefatus, accedens ad altare maius, solitas orationes legit et consuetas caeremonias peregit, decantatis a cantoribus laetaniis et per diaconum Evangelio Marci ultimo [16, 15]¹: *Euntes docete omnes gentes*, etc. Invocatoque auxilio Sancti Spiritus per hymnum *Veni, creator Spiritus*, omnibusque aliis, in publicis sessionibus fieri solitis, de more peractis, ac ceteris I^{mis} D^{nis} legatis et praesidentibus accedentibus ad ipsum altare maius, omnibusque suis in locis residentibus: R. D. ep. Sulmonensis praedictus accepit e manibus ipsorum I^{rum} et R^{rum} DD. praesidentium et legatorum decreta, quae in hac sessione publicanda erant, ascendensque ambonem illa alta et clara voce legit, suntque tenoris infrascripti, videlicet:

Decretum de purgatorio publicatum die prima sessionis nonae et ultimae Tridentinae sub S^{mo} D. N. Pio Papa quarto die 3. decembris 1563.

Cum catholica ecclesia, Spiritu Sancto edocta, ex sacris Litteris et antiqua patrum traditione in sacris conciliis et novissime in hac oecumenica synodo² docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuari: praecipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis patribus³ et sacris conciliis⁴ traditam, a Christifidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliore ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur⁵. Incerta item, vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offencula prohibeant. Curent autem episcopi⁶, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum ecclesiae instituta pie et devote fiant, et quae pro illis ex testatorum foundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et ecclesiae ministris et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur.

De invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus.

Mandat sancta synodus omnibus episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae ecclesiae usum, a primaevis Christianae

¹ Rectius, secundum initium, *Matth.* 28, 19.

² Canon 30. de iustificatione, sess. 6; cap. 2. cum canone 3. de sacrificio missae, sess. 22.

³ Editiones hoc loco non laudant nisi cap. 4 *Qualis* dist. 25, quod est S. Gregorii e lib. *Dialog.* 4, cap. 39, et caput sequens *Qui in aliud* e libro, qui S. Augustino perperam tribuebatur, de vera et falsa poenitentia; sed multa sunt alia patrum de purgatorio testimonia diserta, ut Tertulliani, Lactantii, Ephraemi, Basilii, Gregorii Nysseni, plura Augustini, Caesarii Arelatensis, quae omnia recensentur apud

Rouët de Journal in rubrica de novissimis hominis s. v. *Purgatorium*.

⁴ Editiones laudant concilium Florentinum circa finem, id est decretum pro Graecis in bulla *Lactentur coeli* (Denzinger-Bannwart n. 693); sed iam praecesserant concilium Lugdunense secundum (1274) in professione fidei Michaelis Palaeologi (ibid. n. 464), et Benedictus XII Papa in constitutione *Benedictus Deus* (n. 530).

⁵ *1 Tim.* I, 4; 2, 23; *Tit.* 3, 9.

⁶ Cf. cap. 4 *Contingit* infra de reformatione.

erit longa, ut experientia docet; sed^a per totum diem laborandum. Et quia multa possent evenire, quae reli[n]quimus cogitanda Pat^{bus} V^{ris} 1, cogitavimus, ut sessio duret usque ad aliam diem. Nam legenda erunt decreta^b, quae facta sunt sub Paulo et Iulio 2. Nos enim optamus, ut finis concilio imponatur. Graves causae sunt, et nullae fuerunt graviore a fide nostra incepta. Nam agitur vel de conservatione fidei nostrae, vel de destructione. Si enim aliquis casus oriretur³, ut timendum est, omnes labores nostri et decreta essent inania, quia a nationibus non reciperentur. Nihil magis <ecclesiae Dei>^b calamitosum <esse posset>^b, quam suspensio vel dissolutio concilii^b. Fierent enim concilia nationalia, et nulla ratio haberetur decretorum nostrorum. Nam Galli statuerunt (ut scitis)^c facere concilium nationale, et natio Galliae vult discedere <neque potest amplius hic detineri>^d; quae si discederet, <hoc non esset amplius>^e concilium generale. Omnes oratores id cupiunt, <omnes id exspectant>^d. Rogamus Pat^{tes} V^{ras}, ut velint pro salute S^{mi} D. N. orare; S^{tas} enim Sua diligit vos ut filios. Nihil magis cupit Sua S^{tas} quam finem concilii^d; quae cum habeat custodiam maiorem angelorum, credendum est, ut id optet, quod expedit. Igitur dicant patres, si placet, crastina die fieri sessionem, et rogent Deum, ut inspiret, si crastina die de fine concilii deliberandum est. Decet hoc oratores summorum principum; sed totum hoc situm est in Pat^{bus} V^{ris}. Si vobis placuerit, id nos probabimus. Sin minus, cogitate, si aliqua mala eveniant; de iis vos reddere debebitis rationem, <non autem nos legati et praesidentes>^f 5.

Tunc omnes acclamaverunt *Placet, placet*, exceptis infrascriptis, qui responderunt ut infra.

^{278v} **Messanensis** optat concilium finiri; tamen non placet, die crastina fieri sessionem. **Oscensis**, **Segobiensis**, **Bovensis**, | **Montismarani**, **Cotronensis**, **Legionensis**, **Almeriensis**, **Ilerdensis**, **Dolensis**, **Pampilonensis**, **Lucensis**, **Aliphanus**. Non placet. 25

Guardicensis non placet, nisi, quae restant, prius discutiantur.

Tunc idem I^{mus} D. cardinalis **Moronus** primus praesidens dixit: Gratias agimus Deo, quem rogamus, ut inspiret patribus, quae ipsi placita sunt. Sessio crastina die fiet et durabit per duos dies. Rogamus patres, ut abstineant a tumultibus^h et ab iis, quae non decet modestiam et sanctitatem. 30

Tunc omnes surrexerunt ac multas prae gaudio lacrimas effundentes recesserunt hora 3. noctis⁶.

369.

Sessionis nonae sacri concilii Tridentini
sub Pio quarto Pont. Max. dies prima.

[Sessio XXV]

3. decembris 1563.

Conc. 123 f. 406^r, perg.; *Conc.* 122 f. 453^r—477^v. (Cf. Theiner II 502—505; sine decretis.)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.
Anno salutis 1563, indictione 6, die vero veneris 3. mensis decembris, Pontificatus

^a *Mass. postea super lineam.*^b *Mass. super lineam.*^c *Parenthesis Mass. manu in margine.*^d *Mass. postea in margine.*^e *Mass. del. non esset.*^f *Mass. addit postea.*^g *Del. Nivernensis.*^h *Del. et ab immoderatis.*

¹ Quia scilicet comes a Luna legatis promiserat, *che, se gli damo tempo tutto domani* [3. decembris], *spererà di proponerci tal cosa, che potressimo finir il concilio di concordia.* — Susta IV 438. Vide infra adn. 5.

² Quod fieri prae ceteris praelatis cardinalis Lotharingus desideraverat, eum, ut credebant legati, in finem, ut Galli etiam concilium Iulio III Pontifice celebratum, cui non adstiterant nec consenserant, reciperent eiusque decreta agnoscerent. Susta IV 346 de die 25. octobris.

³ Mors scilicet Summi Pontificis. Nuntius enim, quod Pius IV melius habere inciperet, nonnisi congregatione dimissa Tridentum allatus est. Vide annotationem 4. praecedentis paginae. Cf. v. Pastor VII 276 cum adn. 3.

⁴ Prout ipse Pius IV aegrotans legatis scribi iusserat. v. Pastor VII 275.

⁵ Cum his concordant magna ex parte, quae Hosius cardinalis et legatus iam die 16. novembris, id est post congregationem particularem diei 13. (supra p. 1014 adn. 2), Ioanni Francisco Commendone scripserat. v. Pastor l. c. cum adn. 2. Comes autem a Luna post hanc Moroni allocutionem occasionem arripuit quasi ultimam oppugnandi instantem concilii conclusionem, licet frustra, ut prae ceteris narrat ep. Salamantinus in diario (*Conc. Trid.* II 718; cf. Susta IV 438). Quem praeter legatorum et Calini litteras praecipue laudat Pallavicinus 24, 4, 9—13.

⁶ Quae tunc erat circa horam octavam sero; duraverat igitur congregatio per sex integras horas.